non emptos, sed datos sibi putet. Joan. 17. Ric. Vic.

tos putaverit: Joan. 17. *Pater quos dedisti mihi*: quomodo scitè observat, Richardus Victorinus par. 2. in Canti. c. 10. his verbis: *Ita tunc de illorum redemptione exultat, ut non reputet magnum id, quod pro eis obtulit, sed videatur eos, quos accepit, datos sibi potiùs in munere, quàm emptos pretio sui sanguinis, & compensatione.*

Tenemur ex justitia vicem ei rependere.

977 Quid inde? Tenemur ex justitia Christo Redemptori, & emptori nostro vicem rependere, & debitum solvere perpessionis, & mortis, cùm se dederit martyrii pro illo subeundi occasio. Nos ille pretio sui sanguinis, & vitæ emit, & à servitute redemit durissima; se ipsum, & bona sua omnia dedit in pretium: Dominus noster est, nos servi illius sumus; qui si justitiam colimus, nos ipsos, bonaque omnia nostra pro illo impendere debemus ultrò & libèns. Ille tanquam fidejussor ad nostri debiti solutionem adactus est, sanguinem & vitam profudit. Sed nova subinde in nobis assurgit obligatio: obligamur acceptum referre, sanguinem fundere, & mortem subire, cùm tanti debitoris causa peragitur; secus verò contra justitiam peccamus. *Si justus es* (ait egregiè S. Cypri. de laude Martyrii) *& Deo credis, quid pro eo sanguinem fundere metuis, quem pro te toties passum esse cognoscis? In Isaia sectus, in Abel occisus, in Isaac immolatus, in Joseph venundatus, in homine crucifixus est.* Preme illud, *si justus es*: id est, si justitiam colis, debes pro Christo Redemptore tuo sanguinem ponere, & vitam; quandoquidem ad hoc te passio & mors illius ex iustitia obligant: hoc ille à te debitum tanquam creditor, & exactor exigit.

S. Cypri.

Tenemur sanguinem, & vitam nostram ei reddere.

S. Cyrill.

978 Sed non minus egregiè S. Cyrill. Hieroso. Episc. Catechesi 13. ad medium, expendens qua ratione sit retinenda fides Christi tempore persecutionis. *Pro te crucifixus est, qui nihil peccaverat, & tu pro Crucifixo non crucifigeris? Non tu priùs gratiam illi hanc exhibes; prior enim accepisti; sed gratiam illi reddis. Redde usuram illi, qui pro te in hoc sacro Golgatha crucifixus est.* Quasi enumeratam pecuniam à Christo accepimus pro redemtione nostra pretium sui sanguinis. Pecunia hæc non sterilis & infæcunda est, sed nimioperè frugifera; fit inde, ut à Christi militibus fœnus seu usura sanguinis, cruciamentorum, & mortis exigatur; qui tantâ donati pecuniâ strenuè pugnare debent usque ad vitæ dispendium pro Imperatore suo, si contractus sint memores, & justitiæ cultores.

Isai. 50. 6. LXX.

979 Quò veniunt illa Christi patientis apud Isaiam verba c. 50. 6. *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus.* LXX. vertunt, & ex illis nonnulli Patres: *Dorsum meum dedi in flagella, & maxillas meas in palmas*, vel *alapas*. S. Cypri. Epis. 7. & lib. 2. Testimoniorum adversùs Judæos numero 13. pro *dedi* vertit *posui*; ut apud Joannem c. 10. 17. *Pono animam meam.* Et certè utrumque verbum *dedi*, & *posui*, ad illos videtur spectare, qui ineunt contractum aliquem, pono ut ponas; do ut des. Dedit Christus, & posuit sui sanguinis & vitæ pretium, ut nos etiam nostrum sanguinem, & vitam daremus, & poneremus; ad id enim ex justitia obligamur. Accepi hæc ab Augustino Ser. 114. de tempore, ubi premens Isaiæ vaticinium, ita loquitur scitè, & opportunè: *Perpende inter hæc, qui talem pro nobis dedit pecuniam, qualem à nobis sit exacturus usuram.* Appellat *pecuniam* ipsa Christi flagella, alapas, vitam positam, & sanguinem fusum, qui fæcundissimus extat, & usuram exigit, quam Martyres fortes justitiæ, seù Dii justitiæ, forti Deo nostrâ induto infirmitate persolvunt, dum corpora sua percutientibus similiter dedere, & genas vellentibus obtulere, sanguinem profuderunt, & mortem subiere.

Joan. 10. 17.

S. Cypri.

Pecuniam solvit Christus, usuram exigit.

980 Hoc confirmare licet luculento antiquissimi Tertulliani testimonio, libro de fuga in persecutione cap. 13. ubi quærens, quid sibi Christus D. voluerit, cùm postulantibus vectigal Cæsari dandum respondit, visâ numismatis imagine: *Reddite quæ sunt Cæsaris, Cæsari; & quæ sunt Dei, Deo.* Matt. 22. 21. ita fatur pulcherrimè, & ad rem nostram peropportunè: *Quomodo reddam quæ sunt Dei Deo, utique proinde imaginem & monetam ipsius, inscriptam nomine ejus, id est, hominem Christianum? Quid autem Deo debeo sicut denarium Cæsari, nisi sanguinem, quem pro me filius fudit ipsius? Quod si Deo quidem hominem & sanguinem meum debeo, nunc verò in eo sum tempore, ut quod debeo, expostuler.* Hortabatur Tertullianus fideles in carcere detentos, & martyrio designatos, ut generosè sanguinem & vitam profunderent propter Christum. Hoc verò ut illis persuaderet, dominico utitur testimonio, quo admonemur, denarium Cæsaris imagine insignitum, Cæsari suo quidem jure, & ex justitia esse reddendum; potiori autem jure, & strictiore justitia, illa Deo reddenda, quibus insculpta Dei ipsius imago est. Atqui certum est, homines in se ipsis divinam Trinitatis imaginem referre, imò Christi crucifixi similitudinem (ut in Proludio c. 1. effecimus) & licèt præsertim hæc Dei imago, & similitudo ad solum hominis animum pertineat, ad corpus tamen aliquo modo pertinere putant boni Interpretes; & Tertullianus ad sanguinem ipsum: quod Moyses videtur docere Genes. 9. 6. Ecce quomodo & animus, & corpus, & sanguis dicantur Dei imaginem præ se ferre, & esse monetam, cui Dei, imò crucifixi Jesu, imago insculpa resplendet. Ecce unde Tertullianus validè suadet fidelibus, ut martyrium subeant, sanguinem & vitam profundant pro Christo: quia vita nostra, animus, & corpus sunt Christi imagine insignita, uti moneta ipsius: quam cùm sibi exposcit, jure quidem suo exposcit; & nos cùm eam deponimus, verè quod debebamus reddimus ex justitia: id enim præ se fert verbum *reddite*, ut observat S. Chrysos. in Paulum Epis. ad Roma. 13. 27. & Homi. 71. in Matt. *Non enim dixit date, sed reddite; nihil enim gratuitò dat, qui hoc fecerit; debitum siquidem est res ista.* Martyres ergo, dum sanguinem fundunt, & mortem subeunt pro Christo, Christo utique persolvunt inexcusabile debitum, debitum vectigal, & tributum. Ille suum sanguinem abundè effudit, ac vitam impendit, ut vitam nobis elargiretur: tenemur ex justitia sanguinem fundere, & vitam pro illo impendere, cum subeundi martyrii se dederit occasio: tunc enim Christus debitum suum exigit, repetit, & expostulat. Quod Martyres reddunt libentissimè, uti præclarissimi justitiæ cultores.

Matt. 22. 21. Tertul.

Sicut denarium Cæsari, sic sanguinem Deo debemus.

Imago Dei in anima, & in corpore, uti in moneta.

S. Chrys.

981 Cau-

Martyres pisces, unde stater solvitur, census pretium. Matt. 17. 24.

981 Causabantur, Christum D. exactores tributorum, quòd didrachmum non solveret, id est, duas drachmas, dimidium sicli, seu stateris: Matt. 17. 24. jubetur Petrus, ut vadat ad mare, & mittat hamum, in ore piscis inventum staterem sumat, & pendat pro Domino, & pro se: *Vade ad mare, & mitte hamum: & eum piscem, qui primus ascenderit, tolle: & aperto ore ejus, invenies staterem: illum sumens da eis pro me, & te.* Cur Petrus ad mare mittitur? Cur potiùs hamo, & non reti piscaturus? Nonne ubi poterat staterem invenire, quem in ore piscis invenit? Respondet Ambrosius lib. 5. in Lucam, §. de ascensu Jesu in navim Simonis, his verbis: *Didrachma non ociosè in ore piscis inventum. Etenim pretium immortalitatis est nobis nostra confessio, quia sicut scriptum est: Ore confessio fit ad salutem. Et fortasse primus hic piscis, primus est Martyr, in ore habens didrachma, hoc est pretium census. Didrachma nostrum Christus est. Habebat igitur primus ille Martyr, Stephanus scilicèt, in ore thesaurum, cùm Christum in passione loqueretur.* Quod iterum inculcat, & exprimit lib. 3. de Virginibus non longè à fine, ita delicatè. *Grande mysterium. Spiritualis enim videtur esse piscatio, quâ doctrinæ hamum mittere jubemur in sæculum, ut primum illum Martyrem Stephanum de mari verrat, qui censum Christi in interioribus contineret. Martyr enim Christi, thesaurus Ecclesiæ. Martyr igitur ille, qui de mari cœlum primus ascendit, captus à Petro, non reti sed hamo levatus, ut rivo sui sanguinis elevaretur. Cujus in ore thesaurus erat, cùm Christum in confessione loqueretur.* Quid dici potuit argutius, & opportunius, ut appareat, Martyres, dum Christum publicè confitentur, & confessionem sanciunt fuso cruore, & vitæ dispendio, pisces esse, vel potiùs Ecclesiæ thesaurum; unde stater solvitur census pretium, interveniente præstantissimæ justitiæ staterâ. Lege eundem Doctorem lib. 1. Epist. 1. ubi in *statere* ex ore piscis extracto agnoscit verba staterâ justitiæ librata, & ex justitia proferenda.

S. Ambr.

S. Stephanus in ore thesaurum habebat ad solvendum Christo.

S. Ambr.

982 Hinc jam illa cygnea, & solicita Martyrum vox apud purpuratum Vatem Ps. 115. 3. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi?* Contemplabantur Martyres quæ & quanta Deus illis tribuisset; nempè se ipsum, suaque omnia, labores, dolores, sanguinem. Quid pretiosius? soliciti & anxii quærunt, quid Deo possint retribuere pro infinito hoc divitiarum cumulo, quibus se ditatos, & cumulatos vident: *Quid retribuam?* S. Hiero. *quid reddam Domino?* Hebraicè, *quid redire faciam ad Dominum?* Quorsum hæc, ò purpurati milites? Quid vos pro re tanta retribuere poteritis Deo creditori, & redemptori? Expende quid retribuant: *Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* Hebraicè est, *calicem Jesu*; illum nempè, quem a se ad suos Martyres transire expostulavit in horti oratione Lucæ 22. 42. (ut explicat Hilarius) & quem Apostolis porrigebat Matt. 20. 22. Hic calix, martyrii calix est (sic illud appellant Patres, uti diximus lib. 1. c. 1.) quē cùm Martyres excipiunt, retribuunt Deo justitiæ debitum. Audi S. Hieron. ad illa Ps. verba, ita pulcherrimè: *Nihil habeo, quod retribuam, nisi pro ipso sanguinem fundam; nisi pro ipso Martyr existam. Hæc est sola retributio digna; calicem accipere, & pro sanguine sanguinem retribuere.* Subdit paulò post: *Grandis res martyrium, quoniam retribuit Domino, quod accepit à Domino. Christus pro ipso passus est, & ille pro nomine ipsius patitur. Quoniam diximus, quòd Martyr nihil aliud habet, quod retribuat Domino, Dominus computat illi pro æqualitate.* Hoc totum, ut cernis, ad justitiæ opus spectat, quam Martyres summoperè colunt, dum pro Christi sanguine sanguinem retribuunt, pro vita vitam, pro tormentis tormenta, pro ignominiis ignominias. Et quia ratio *æqualis* necessaria est ad justitiam (totum enim justitiæ munus est exclusio inæqualitatis, quæ vel præcessit per antecedentem injuriam, vel interveniret, nisi opus justitiæ eliceretur) ideo Deus computat Martyribus pro æqualitate, quòd sanguinem pro sanguine, & vitam pro vita persolvant; neque quidquam eis superest, quòd reddere possint (præter actus spei, fidei, charitatis, & aliarum virtutum, quos eliciunt) nisi sanguinèm, & vitam per martyrii cruciamenta. Ideo subtexit Vates peropportunè: *Pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum ejus.* Magni utique pretii, inæstimabilis valoris est apud Deum, verum rerum æstimatorem, ipsa Martyrum mors. Nil poterant pretiosius ei retribuere pro infiniti pretii cruore, quem ipse effudit. Sic etiam Ps. 14. *Honorabile nomen eorum coram illo.* Hebræa, & Chaldæa habent; *& pretiosas sanguius eorum coram illo*: id est nihil magis apud Deum in honore, & pretio, quàm Martyrum mors, & cruor. Si quis igitur sanguinem fundat, & vitam pro Christo ponat, summum rei pretiosissimæ debitum persolvit, & verum actum justitiæ exercet, ac proinde exhibet æquale quantum potest.

Ps. 115. 3.

Martyres solicitè quærunt quid Christo retribuant.

S. Hieron.

S. Hieron.

Retribuunt quasi ad æqualitatem.

Nihil Martyrum morte, & sanguine pretiosius pro debiti solutione.

Ps. 71. 14.

D E

MARTYRUM

Temperantia.

983 Illud unum præmittere oportet; objectum nempè temperantiæ materiale esse principaliter voluptates, corporeas præsertim, nec verò omnes, sed per se illas tantùm, quæ ex gustu & tactu percipiuntur. Formale autem hujus virtutis objectum, pro delectationibus, conformitas est earum ad rationis præscriptum. Quod latè & eruditè probat noster Raynaudus lib. 6. de virtu. & vitiis sec. 1.

C A P. III.

Prominet in Martyribus temperatus sui ipsorum amor; Paupertas, Abstinentia, Castitas.

984 In primis inter partes subjectivas, seu species temperantiæ, numeratur temperatus sui ipsius animus, sive charitas propria, qua corpori suo eatenus quisque bonum vult, quatenus consentaneum est ad finem corpori præfixum, qui est esse idoneum animæ instrumentum, atque adeò amandum est infra animam. Virtus hæc excludit nimium